Opuscula

ANALOGIA

Divinæ Sapientiæ,

in

DIVINISSIMO

THOMA AQUINATE

Angelico & Ecclesiæ DOCTORE,

Annua Eius Recurrente Festivitate
In Ecclesia Sacri Ordinis PRÆDICATORUM.
Argumentô Oratoriô
per

M. ANTONIUM ZOŁĘDZIOWSKI, Philosophiæ in Alma Universitate Cracoviensi Doctorem, eiusdemq; in Academia Posnaniensi pro tunc Professorem, Alumnatûs Szołdrsciáni Præfectum

DEMONSTRATA.

Annô Incarnatæ Divinæ Sapientiæ 1738.

POSNANIÆ
Typis Academicis.

Lætetur itaq; Mater Ecclesia, exultet Italia, Parens Campania jucundetur, Prædicatorum Sacer Ordo jubilet, Doctorum turba complaudat, nam dedit DEUS cor, ad præcepta, & legem vitæ & disciplinæ, & Sapientia humilitati exaltavit Caput Illius. In medio Ecclesiæ aperuit os Ejus, & implevit eum Dominus Spiritu Sapientiæ & intellectûs, stolâ, gloriæ induit Eum. *Bulla Canonizationis S. Thomæ Aquinatis* §. 19.

Omnipotentis DEI Providentiâ factum est: ut Angelici Doctoris vî & veritate doctrinæ, multæ quæ deinceps exortæ sunt Hæreses convulsæ & convictæ dissiparētur, & ejus meritis Orbis terrarum à pestiferis erroribus liberaretur. *Pius* V. *Const:* 36. *Mirabilis DEUS est &c.* §. 2.

Est Doctrinâ Divi THOMÆ ex Abysso Salutaris Sapientiæ hausta, adeó profunda: ut doctissimus quisq; & summô ingeniô præditus ad intima eius pervenire cupiens, videat sibi immensum quoddam pelagus subtilitatis sibi restare, quô conari possit. *Caietanus.*

Unum quodq; Doctoris Angelici Verbum falx est: non tantùm hominis legentis vel audientis cor purgans, sed totam à spinis Hæresum repurgans Ecclesiam. *Antonius de Escobar in sermone de S. Thoma Aquinate.*

DOCTORI
Angelico,

Sequacium suorum

CUSTODI ANGELO,
D. THOMÆ AQUINATI,
DEDICATORIA.

V*Mbram Soli, guttam Abysso, athomum Olympo adijcio, dum pusillã hanc Panegyrim Tibi offero, DOCTOR SANCTISSIME. Ut enim Te Doctorum SOLEM, Uirtutis & Sapientiæ ABISSUM, supra quam Fundatur Ecclesia, MONTEM esse, nemo ambigit: ita Opusculum hoc sine Lumine Orato-*

to-

torio umbram, sine Fontibûs Rhetoricis stillam, & in exilitate sua propè athomum esse quìs non videt? Et hoc tamen munus exiguum accipe in grande pietatis meæ erga Te PRÆCEPTOREM monumentum, Quo DOCTORE & DUCTORE ter me Æquori Philosophico ad Wartham commisi, & ter in portu fortunatus steti, cum Philadelpha, Subtili, Resoluta, Libera Schola certavi, & palmam, si quam retuli, Tibi semper detuleram. Nec deferre unquam desinam, Tu Angelicô Discipulorum Tuorum minimum fove Patrociniô: quod imploro

Authör Opusculi.

ORATIO.

QUinquennium eſt, ex quo à laudibus THOMÆ vacavi Philoſophus, hodie tandem eas in forma Oratoria reaſſumo. AA. Moram exprobratis! abſit, ſæcula poſcit quercus ut creſcat, decennium elephas ut pariat, luſtra Oratores, ut quidquam in laudes Doctoris Angelici, & Doctorum Cuſtodis Angeli moliantur. Cunctandum diu eſt, quomodo enim incidere in Abyſſum THOMAM? nec ſorberi, intendere in Solem Thomiſticum mentis oculos? nec lippire, hìc labor, hìc opus! Comittere ſe Iſthmo vel Propontidi, auſus facilis, ſed immenſum gloriæ Aquinaticæ Æquor, donec metiri audeas, cunctandum diu eſt. Sicubi? hìc, hic temeritati proxima celeritas, nisì fatiſcere velis, extemplò Solem Thomiſticum motibûs ingenii inſequere, nisì fulguris more extingui, in puncto Eloquentiæ accende Sidera. Fabium ego pro laudibus THO-

MÆ Oratorem velim, aliàs festinus Laudator non festivus erit, celer sed levis. Quòdsi enim parùm in laudibus THOMÆ decocta proficiunt ingenia, quid? si præpora eas attentet dictio? triginta annîs circa stupendum illud Caput magno nisu *Magnus* laboraverat *Albertus*, & nisì unicum sálve THOMÆ dixerat; quantum tempus petit? qui fusius de THOMA velit dicere. Plures effluxêre anni priusquàm fatidicæ in Dodona Querci non dico loquebantur, sed saltèm mussitabant, vix non tot effluere necesse, antequàm non dicere laudes THOMÆ audeas, sed ad maximum balbutire. Eapropter tardum in laudibus THOMÆ egi Mobile AA. & metiri enim vires suas placuit interea, & THOMÆ magnitudo eousquè deterrebat ab opere. Vicit tamen timorem audacia, & remoram debita THOMÆ vicit obligatio. Fontem hunc haurio Philosophus, estò flores desint, non licet etiam spinis verborum, non coronatum dimittere Sole hoc vivo Thomista, tametsi non Rhodium, tametsi magnitudini THOMÆ imparem, quàntùm tamen possibilitas obtinet, erigere illi Rhodensium more gloriæ Colossum expedit. Strepunt oriente Sole cicadæ, quia cum argutioribus luscinijs æquè modulari non possunt, clangunt anseres, ad paritatem olorum canere cùm nequeant, fixum etiam in Pectore Aquinatico Solem pro modulo necesse est adorare. Si Numen Theologorum Philosophorumque *Aquinas* est, estò grandem ad Aras Ejus lampada accendisse, non opis est nostræ, faculam licebit appendere. Si sidera tangit vertice, dum Solem tenet pectore, placebit serpere ad plantas pumillæ dictioni, & lambere THOMÆ vestigia, cùm totus Oratoris ingenium excesserit. Nec pudet diutiùs, si non laborâsse in THOMÆ Laudibus, sed saltèm diu eas cogitâsse, & nihil dignum

Maje-

Majeſtate THOMÆ loqui, quamvis enim cogitatio-nem excedit Subtiliſſimus quia incorporearum Intelligentiarum Doctor *Aquinas*, quâvis ingenij profunditate altior *Abyſſus*. Tranſcendiſſe Creatæ limites Sapientiæ nuper eum probaveram, nunc cùm alium titulum excogitare non potui, ex Creatæ Sapientiæ *Tranſcendentia* Divinæ *Analogiam* in THOMA inferam. Ex principijs Tuis hæc illatio eſt Doctor Angelice, fave ut Tuæ, ſub gratiæ Tuæ Præſidentia, eam ut rectam minimus Tuorum defendam Diſcipulus. Conceſſiſtis nuper Antecedens AA. nullus ſe Veſtrûm contra *Tranſcendentiam* THOMÆ oppoſuit, ſi qui extra Scholam Angelicam negatis Conſequentiam, brevem Veſtrûm patientiam Orator poſcit, donec probet.

INter tot rerum ſpecies & formas, nulla DEO ſuo Archetypo eſt ſimilis AA. Ad admirationem formoſas, ad ſtuporem venuſtas rerum Imagines Cæleſtis pinxit Apelles, unaquæque tamen illi comparata exemplari, nec umbra eſt, vel veſtigium. Quantum Calpe ab Abyla, quantum atomus à Sole, quantum gutta ab Oceano, tantum res creatæ à DEO diſtant, imò quantum nihil ab aliquo tantum rerum creatarum Summæ ab Immenſo. Punctum reſpectu Divinæ infinitatis non adæquant, pugillum reſpectu Omnipotentiæ, jota unicum, vel apicem reſpectu Sapientiæ. Homo ſolùm ipſe os humeróſque DEO ſimilis, & vivum Divinitatis ſimulacrum, quantò minùs ab Angelis minoratus, tantò magìs ad Divinitatem accedit. Fateor quoad luteam molem corporis multùm à Divinitate elongatus, ſed Spiritus Divinæ eſt particula Auræ, & pars melior. Luteo hoc carcere arcetur minimè, ex hac parte infinitus quòd

mente attingat omnia. Divinum quid proinde sapit Spiritus Deiformis in Nobis omnibus, in THOMA tamen quasi per excellentiam vel totus Divinus est, vel ex majori parte DEO *Analogus*. Parem utrobique attendite rationem AA. Novit omnia DEUS, & THOMAS, capit omnia, & THOMAS, *Judicia DEI abyssus multa*, & THOMAS. Quodsi Divina Sapientia quanquàm Immensa Matris se in tempore inclusit in visceribus; THOMAS eam Matrem Pusio sua inclusit in viscera, quæ DEUM cæperat. Dicite quod cum gratiæ disordinavit THOMAS ordinem, & illam quæ ex ore processit Salutationem Angelicam Infans ore absumpsit, rivus Mare absorpserit, & Solem radius! Rivus esse non poterat, si tam vasti pectoris erat *Aquinas*, ut eam caperet quæ Cælìs major quòd DEUM cæperit. Radius esse nequibat, si amictam Sole & duodecem Stellis Caput coronatam tanquàm minorem bolum deglutijt Sol futurus Theologûm. Et quidem facilè; tota se enim Cælestis Sapientiæ plenitudo Menti THOMÆ in *plena gratia* infuderat, sese etiam incorporâsse THOMÆ audacter asseruerim; postquam ille eam deglutijt, ea in substantiam aliti transierat. In fascijs tunc erat THOMAS, sed Laureîs dignus & Fascibûs Literatis Doctor Pusio, & Scientiarum Universitas cùm Sedem Sapientiæ ad Cor MARIAM admiserat, quia tamen per ætatem Laureis Angelicum coronare non licuit, Rosæ *Benedicti* ei cedunt in adoream. Quinquennis Cassinatibus erudiendus Puer traditur, ut acriùs olim Hæreses puncturus Theologus acumina Benedictinis auspicaretur è vepribus, vel Incarnatæ omninò persimilem se se monstraret Sapientiæ. Videre illam erat duodennem cum Doctoribus disputandem ex Cathedra, videre THOMAM quinquennem *quid est DEUS?* quæsiisse ex Doctoribus & in eo explorâsse

plorâsse Doctorum sensum, quod sibi tandem aliquando concludendum restabat. Videre illam erat scire omnia & nihil didicisse, THOMAS etiam sinè Tyrocinio veteranus, sinè Palæstra Doctor, Dux sinè Prodromo, sinè fonte Flumen, stupori erat Cassinatib9. Sinè manè etiam visus habere meridiem, Neapolim ceu in novum Polum translatus *Aquinas* tametsi in aurora, ubi Illustres Aquinatum Ceras Umbris Religiosis intulerat. Et geminâsse meridiem inde dixerim, quòd Cognatos Serenissimis Siciliæ & Arragoniæ Fascibus Domûs Aquinaticæ Splendores, Dominici conjunxit Sideri, mirabaturque Orbis, quòd ejusmodi Siderum intercesserit conjunctio. Non fuit tamen stuporis materia, etenim Sol Doctorum post Augustinum THOMAS ejusmodi Auroram sequi debuit, tantus THOMAS ut Solem gerat pectore, illius Parentis decebat ut esset Filius, cujus Frontis, Stella quantùmvis Orbe major, nec partem capit. Erat nihilominùs quòd doleret Mater, occidisse in THOMA Domûs Aquinaticæ splendores rata, perijsse lumen oculorum, nisì Mater non esset, abstinere potuisset à lachrymis. Non succenseo ego justis *Theodoræ* fletibus, sed quamdiu intra honesti erant limites, Mater erat non Noverca, Mulier non Rhodope, vel Caucasus, flere licuit, illacrymari ei licuit. Verùmtamen postquàm dolor in furorem versus, bilem effundere cæpit cum lachrymis; indignam, repeto indignam, Matris titulô pronuntio. Gemit amissa prole & palumbes, flet recisa fronde & balsamum, lachrymatur & vitis, dolet suos Catulos & Leæna, sed conspirare in necem, cooperari ad prolis interitum nihil legimus. Med[illegible] quisquam objicis, una est quæ vitam filio dedit, & accepit, altera ne primatum in crudelitate priori cessisset; vitam THOMÆ eripere *Theodora* attentavit. Transeat

 quòd

quòd per Fratricidas, (erràvit quidem lingua, nam Fratres dixisse debuerat, nisì ob sevitiam in THOMAM id Nomen mererentur) ausa quantùm amor in furorem versus potest, quantumvìs ad internecionem non deventum, Medæa pejor, quòd occidisse THOMAM in Anima, quæ immortalis est, præsumpserit. Ligatum THOMAM arctavit in *Joannis Castro* carcere, ut in nefas, proh dolor! in nefas, ô scelus! lapidescunt in ore verba! dissolveret. Cypridem è Papho evocavit, ut quia nil Aquæ (Fratres & Sorores intelligo) in *Aquinatem* germanum profecerunt, illa quæ medijs etiam ardet in undis, quantùm posse suum auderet in Angelicum. Et tentatum id, sed non successit eventus, è spuma Maris natam non est in aquis suis *Aquinas* passus, quæ ad Cypridis æstus, vel glaciatæ erant vel Mare mortuum. Illæsum ergo Aquinaticum pudorem actis THOMÆ probo *Castrensibus*; Lupa illa fucus melleæ Angelici Virtutis erat, arrepto torre fumo abegit fucum, cæcus Cupido erat, flammis cæco iter monstravit ad barathrum, & quia sacrilego amore arserat, ad rogum sacrilegium damnaverat. Vulcano Venerem triùmphavit & cæcidit, cum qua nemo ità luctatus quin priùs caderet, vicit Cupidinem, cui & semideos Heroas non novum vincere. Nec miror! facilè quippe fuit vicisse THOMÆ Venerem, cui contra carnis stimulos spinas olim acuerat *Benedictus*, ignibûs ejùs ardere non poterat, vel quia non de furiali Bòëtiæ lacu *Aquinas* erat qui accendit libidinem; vel non de Epyri fonte, qui extinctas etiam accendit faces. Alia placet ratio; nec incaluisse quidem ad æstus Cyprios THOMAS potuit, quod cum Sole adustus in Pectore; integro *Gratiarum Mari* sitim nuper extinxerît, etiam peccati extinxit fomitem. Labi quoquè non pote-

poterat quòd fluxum Aquarum ingenium cum sanguine exuerit. Prævaluit igitur *Aquinas* facilè contra ignem, fugisse ex carcere quisquam objicit ? sit sanè, citra ignominiam THOMÆ fuga est, Doctorem eum Gentium fore monstraverat; quòd Se per fenestram demiserit, tametsi non in sporta. Angelicus etiam *Aquinatis* pudor per fenestras debuerat descendisse, cùm postes, indigni quibûs egrederetur erant, quos impudica Mulier temeraverat per ingressum. Maturâsse quoquè Victor THOMAS triumphos debuit, igitur Parisios per fenestram properavit. Ubi vix pedem fixit, Innocentiæ Assertorem Parisiorum Lilia coronârunt pro Laureis, dedit acclamationes inanime *Alberti* Caput, & ut ulmus olim Apolonio THOMÆ nostro salve dixit. Obmutuisse illud statim miraris, magnitudine THOMÆ perculsum, & imparì tanto Hospiti confusum Eloquentiâ, silere debuit. Non pœnituit tamen triginta circa illud annìs laborâsse *Albertum*, esto unicum nisì THOMÆ salve-dixerit, satìs enim dixit si THOMAM salutavit. Illum enim THOMAM salutavit, ex cujus Magnitudine *Magnus* cæpit *Albertus* dici, *Magnus* enim Magister dici non poterat; nisì parem habuisset Discipulum, nec parem habere potuisset; nisì incidisset in THOMAM. Parem tamen dixisse non debui, cùm supra Magistri Disciplinam erat THOMAS Discipulus, illaquè ex eo discebat Magister, quæ docere debuerat. Bovem tamen ex THOMA finxêre Condiscipuli, & fabula partem veri habuit, nam, ùt olim nascente in terris Divinâ Sapientiâ visus bos ad Præsepe, ità dum THOMAS Doctorum Numen Scholis nasceretur finxisse saltèm Bovem Condiscipulorum livor debuit. *Analogiam* & hinc Divinæ Sapientiæ in THOMA collegisse juvat: Muta

illa præterquam enim semel in ætêrnitate locuta; THOMAS quoquè ùt ùt mutum animal esse debuit, ut ei non esset anomalus hoc in passu. Neque tamen in eo solùm THOMÆ stat cum Verbo proportio: Scientiam ejus perpendimus, si ad æqualitatem Divinæ non ascendit, paulò minùs se demittit. Tota in Scriptis THOMÆ est; sicut in DEO est integra, in Scriptis aliorum est *Media*, in Scriptis THOMÆ integerrima. Divisum etiam inter alios Regnum eruditum, THOMÆ totus se Orbis eruditus torque aureo alligavit. Nec immeritò, si quid enim uspiam eruditum est, hæc *Abyssus* capit, si quid scientificum Aquinaticum Mare tenet, ceu quoddam altum Sapientiæ. Summa THOMÆ universæ Literaturæ est Summarius, collegit in ea quidquid vel sciri potest, vel doceri. In partes eam divisit, unaquæque tamen pars Summæ Thomisticæ, omni toto alieno major, unus etiam ejus articulus totum alienum Corpus excedit. Discis illam, non est quod Beatis invideas, illi in Verbo vident omnia, qui THOMAM discunt in Summa palpant singula. Dubito utrum fidem habent THOMÆ Discipuli? nôrunt ex Summa in via, quod videtur in Patria. Tanta in ea evidentia? nec mirum, ut enim THOMAS *Didymus* palpando credidit, ità THOMAS Angelicus palpando scripsit Summam, & docuit. Excesserat tunc hominem cùm illam scriberet, ideò Summa nisì in ea scripsit & optima. Summa scripsit, parva enim in Summa scripsisse non potuit, optima quoquè scripsisse colligimus ex Censura, *Benè scripsisti de me THOMA.* Ut credimus DEI Verbo ea *quæ fecerat* fuisse *valdè bona*, ità Verbo Christi fuisse optima quæ THOMAS scripserat. Ammanuensis enim Divinæ THOMAS Sapientiæ malè scripsisse non poterat, cùm malè illa dictâsse nequijt.

Benè

Bénè ergo ſcripſiſſe debuit, cùm Æterna dictante ſcripſerat Sapientia, unde hoc conſtat quæritis? inde, quod dixiſſe tantùm Divinam Sapientiam non ſcripſiſſe legamus. Dixit illa non ſcripſerat, dictavit THOMÆ ut ſcriberet, ſi *Lingua DEI eſt calamus*, quis? ſi non THOMÆ calamus eſt lingua DEI. Benè ergo ſcripſit, benè dixiſſe ſingula linguam DEI ſi creditis, benè ſcripſiſſe THOMÆ calamum neceſsè eſt concedatis. Conſtat id etiam ex præmij optione, *Quam ergo mercedem accipies?* Virtutis enim meritum eſt præmij electio. Putaretis Vos AA. quòd Comes de Aquino THOMAS Princeps eſſe velit, vel aquarum more appetet in altum creſcere; abſit! appenſam in Cruce Incarnatam appetit Sapientiam, ut inter meritum & mercedem intercederet æqualitas. Magna voluiſſe THOMAM aſſeritis, minimè, ex cauſa magna petijſſe debuerat, cùm merita prope haberet infinita; DEUM mercedem voluit, cùm ejus merita hominem exceſſiſſent. Tenebatur etiam THOMAS Incarnatam Sapientiam expetijſſe in præmium, aliàs cùm ſimile appetat ſibi ſimile, *Analogus* illi non fuiſſet. Fuiſſe tamen, ſi cætera prætereaam, & illa inter menſæ obſonia *contra Manichæos* probat Concluſio, à Chriſto poſt Cænam eſt *Conſummatum*, à THOMA poſt Convivia *Concluſum*. Funus quoque utriuſque probat ſibi fuiſſe *Analogos*, Chriſti Corpus novo in Sepulchro eſt conditum, THOMAM *in nova Foſſa* quaſi renovaretur in vitam meliorem; ſepultum novimus. Immortalem tamen poſt funera vel redivivum cernimus, dum vel unum ex Vobis AA. RR. PP. intuemur. THOMAS ille, Veſtrûm plures, Scientiarum *Abyſſi*, Doctor Angelicus Ille, Vos Ejus Diſcipuli, ergo Angeli, & Angelorum ſi diſcerent Magiſtri. Diſcerent ex Vobis poſſe quoque in carne vivere Angelicè, &

in Sacra Familia Vestrum illos nasci, qui Angelorum quoque Doctores sint. Allaborare suis Elogijs videretur Orator dum Vestris; & ipse enim Thomista est, tacet, esset enim pro Domo sua Orator cùm ut in doctrina THOMÆ, ità etiam in laudibus communicare Vobiscum videretur. Exigit quidem laudes ampliores obligatio Philadelphica, sed quia id Vobis sufficit ad gloriam, quòd Doctoris Angelici sitis Discipuli, integrum Solem Scholasticum habetis in THOMÆ pectore & Mare eruditum in *Aquinate*, à Vestra, & à THOMÆ Panegyri supersedeo.

D I X I.

